

(13.)

ORATIO

IN FUNERE

CAROLI TERTII

HISPA NIARUM ET INDIARUM

POTENTISSIMI REGIS

HABITA

IN TEMPLO MAXIMO MEXICI

VII. KALENDAS JUN.

ÁNN. M. DCC. LXXXIX.

Á JOSEPHO PATRITIO FERNANDEZ

DE URIBE

CANONICO POENITENTIARIO

ECCL. MEXICANAЕ.



(I)



UOD à praepotenti regnum omnium Largitore, & Moderatore Deo summis olim votis deprecabamur, quodque divino sanè ac singulari munere sibi concessum nuper Hispania gloriabatur, CAROLI TERTIJ imperio diù potiri, id nobis ipsa nostra felicitate miserandis dolorem tandem aliquando attulit peracerbum. Nam cum fluxam fragilemque humanae gloriae conditionem eò vel maximè deflere soleamus, quòd vix homini liceat brevi tempore esse felicem, novum nunc calamitatis genus querendum nobis est, quibus contigit diù esse fortunatos. Et sanè, cùm exiguo annorum spatio prospera clauduntur imperia, quamquam triste sui desiderium relinquent, suscepti vulneris cicatricem facilius obduci experimur, & quòd brevis laetitiae memoriam citius deleat oblivio, & quòd immaturè praecepta, neque multos, neque uberes adeo bonorum fructus edere potuerint. Hujusce verò, quem paulò antè amisimus, undetriginta annorum optimi principatus, quae unquam vetustas obruet memoriam? Aut cui tanta erit verborum copia,

ORATIO
IN EUNGRE
CAROLI TERTII
HISpaniarum et Indiarum
POTENTISSIMI REGIE
HABITA
IN TEMPIO MAXIMO MEXICI
ALI KALENDAS IUN
ANN. M DCC. LXXXIX
A JOSEPHO PATRITO FERNANDEZ
DE URIBE
CANONICO PONIENTARIO
ECC. MEXICANAE

(II)

qui vel recensere utcumque valeat quot, quanta-
que ab illo in rempublicam, inque privatos om-
nes bona redundant? Profectò quoad longissi-
mè ab Catholicorum Ferdinandi & Elizabethae
temporibus, cùm primùm disperita Aragoniae
& Castellae regna in unum principatum coalue-
re, ad extrema usque haec nostra Hispanorum
Regum memoriam repetere possum, paucos ad-
modùm video, qui sceptra diutiùs CAROLO obti-
nuerint; qui justiùs, qui feliciùs prorsùs nemini-
nem. Ergo nos mortalium omnium miserrimos,
qui cùm auspicatissimâ assueti dominatione, CA-
ROLI TERTIJ nomen triginta ferè annis in delicijs
habuerimus, tristissimo posthac illius desiderio,
atque acerbâ recordatione contabescemus! O dies
proximos Decembris Idibus, clarissimos olim &
faustissimos, quibus ille Matrium veluti postli-
minio reversus, patriam dulcissimam salutabat,
ab eaque primùm Rex salutabatur; eosdem, annis
vertentibus, spisissimâ nocte obscuriores & inaus-
picatos, qui tantam Hispaniae cladem attulerunt,
ut moenia, agri, Academiae templaque ipsa in
unius CAROLI obitu Bellatorem Fortissimum,
Agriculturæ Instauratorem, Scientiarum & Ar-
tium Protectorem, ac Religionis Firmissimum
Praesidium flere, & plorare viderentur.

(III)

Sed quoniam in adversis rebus id unum af-
flictis superest solatium, praeteritam felicitatem
saepius recordari, atque ijs ipsis quibus acceptum
refricatur vulnus, refici quodammodo, ac recrea-
ri, indulgeamus sanè justissimo dolori, & CAROLI
optimarum recordatione virtutum miseram tanto
casui consolationem requiramus. Ego verò, quem
grayissimis distentum curis tantum onus subire
voluistis, cui neque ingenio, neque dicendi co-
piâ & exercitatione parem me esse sentio, sic
laudatoris partes suscipiam, ut si minùs digna
CAROLO, vobis spectatissimoque hoc loco digna,
vera tamen atque omnium suffragio comprobata
de pio felicique Optimi Principis imperio in me-
dium afferam. Et quidem, si quod solemne & fa-
miliare est poëtis, liceret omnino oratori quasdam
rerum formas effingere, eisque vocem & laudan-
tis personam imponere: vellem ego hodiè publi-
cam felicitatem, & religionem squalidas, moestas
acerbiusque ad CAROLI tumulum flentes inducere,
quae, me tacente, dignè tanto funeri parenta-
rent. Sed quamquam isthaec nec vestro luctui,
neque meo muneri ficta convenient, quantum po-
tero dicendo contendam, non ut meos, sed his-
panae Felicitatis & verae Religionis, quibus sum-
mopere studuit CAROLUS, intimos sensus expo-
suisse videar.

(IV)

Ac ne illa commemorando , quae in hujusmodi laudationibus afferri primo loco solent, multis vos morer; si quid Summis Principibus nobilissimae stirpis commendatione, aut egregijs majorum facinoribus verae laudis accederet, satis hac in re me dixisse , neque quidquam de CAROLO majus gloriosiusve praedicari posse arbitrarer, quam & Borbonum fuisse , & patrem habuisse dignum Ludovico Magno avo, proavis atavisque religione , bello , pace maximis dignum , justum, pium , strenuum , verbo dixerim, re & cognomine Animosum Philippum. Cujas quidem expressam imaginem CAROLUS vel à teneris sic referebat, ut cum puerum decoro, atque ad majestatem composito vultu , moribus suavem, ingenio ad litteras aptissimum, sacrâ & prophânâ Historiâ, Geographiâ & Chronologiâ instructum, linguarum praeter nativam Latinae, Gallicae, Italicae peritum omnes demirabantur, illum ex eo tempore magnum aliquid portendere augurarentur. Ut cumque tamen maxima quaeque in Principe puero nemo non prospiceret, quantus ipse apud Hispanos futurus esset & gloriâ, & imperio, ille unus noverat, qui optima atque insolita erga nostram felicitatem de illo jam tum cogitabat moliebaturque regnorum Arbiter Poten-

(V)

tissimus. Evidem cum maximi illius magnorum regum patris Philippi numerosam progeniem, incertos regni casus & gravia discrimina, successionisque vicissitudines mecum animo reputans, filium, vivo ac jubente patre, patrio regno potius, patrem filij ejusdem immaturâ praereptâ morte successorem, CAROLUM penè ab Hispaniâ avulsum Neapoli dominantem memoriâ repeto, mirari satis non possum sapientissimum Providentis Dei consilium, qui his velutî anfractibus CAROLO ad Hispaniae thronum tutissimam ac certissimam viam sternebat. Ecquis enim Ludovicum, & Ferdinandum florente juventâ vegetos atque è vivaci Borboniâ stirpe procreatos cum videret, conjectari unquam posset CAROLUM, tertium natu filium, patri duobusque fratribus regno successurum? Successit enimverò, & quae justissima Hispanis fuerat atque acerbissima dolendi causa, Ferdinandi Sexti orbitas, faustissimam tandem peperit felicitatem. Nam quid nobis contingere poterat felicius, aut optatius, quam eum jam in ipso regnandi exordio Principem fuisse adeptos, qualem neque semper & non nisi serò haereditaria regna solent nancisci? Quippè quam sit onerosum, & arduum, periculis atque aleâ plenum regnandi munus, quodque vix, nisi

(VI)

usu ipso & exercitatione disci possit, optimè ignorunt sapientes principes, qui cum regnare incipiunt, cautè sic omnia & pedetentim agunt, nimis ut timidi, quām parūm prudentes videri malint. Non enim (quamquam & illa quidem reges juvant) reipublicae gerendae acutè & non raro ambitiosè excogitata elementa, non Politicorum sententiae & doctrinae, non ex Historiâ petita documenta instituunt planè regem: Una siquidem regnandi ars est regnare. Hinc, ut qui se novo mari scopulis frequenti ac procellis infesto committunt, qui primùm ad gubernacula reipublicae sedent, undique in latentia allidi saxa, omnibus horis aut bellorum vi & turbine, aut intumescentibus malorum fluctibus rem obrui publicam reformidant; incerti num vela pandant, num contrahant, timent, cunctantur, tentant omnia, donec usu & exercitatione, atque adversis quandoque erudit experimentis, difficillimam regnandi artem edocentur. Quapropter, eò vel maximè Hispanorum felicitati consuluisse Benignissimus Deus videtur, quòd sine liberis decedente Ferdinando, non peregrinus, aut alienus accitus, sed Hispanus & haeres, & jam antea rex fuerit adscitus, qui viginti duos annos optimâ regnandi disciplinâ instructus, jam tum summus evase-

(VII)

rat regnator, cùm primùm regendae Hispaniae datus est. Quāmverò ille regnandi artis peritus, quantis spectatus virtutibus, quot belli pacisque ornamenti immortalem gloriam Neapoli sit adeptus, neque silere omnino, neque verò satis commemorare possum. Hoc quidem liberè ac sine ostentationis notâ Neapolitanis & Hispanis praedicare & contendere licet: nihil sibi posthac esse, quòd Sueciae & Borusiae Carolos & Fidelicos suos invideant. Quidni enim illis, imò eis etiam ubique gentium strenuis viris, qui summam de re Militari laudem sunt consequuti, CAROLUS conferatur, qui (quod olim in Magno Pompeio tantopere commendabat Tullius) è ludo atque pueritiae disciplinâ difficiili bello, atque acerrimis hostibus in Italiam ad maximum imperium profectus est? Cujus adolescentia ad scientiam rei Militaris non alienis praeceptis, sed suis imperijs, non offensionibus belli, sed victorijs, non pluribus praelijs, quām triumphis est traducta: qui apud Butuntos victor, Cajetâ expugnatâ, Syracusis, Messanâ, Drepano in ditionem acceptis, Neapolis & Siciliae, quarum jura in se pater transtulerat, non tam sua regna capessisse, quām domitor armis visus est subegisse.

Jam verò quanta ipse, postquam utriusque

(VIII)

regni summâ est potitus, eximiâ virtute perferit, non est hujusce brêvis temporis, neque exigui oratoris, quâ par erat dignitate exornare. Perpendite vos, quaeso, apud novum Regnum nondum satis firmam CAROLI auctoritatem, atque ut in tantâ Europae totius jactatione & discordiâ, ambitiosas principum mentes & incertos populorum animos. Sanè quamquam major Neapolitanorum pars suavissimis Regis moribus illecta, justo ejus delectabatur imperio, non deerant tamen, qui Austriacis partibus faventes, Reginae Ungariae artibus callidè ad defectionem incitabantur. Solicitabant praeterea CAROLUM Austriacorum consilia, qui, quod Vormaciensi fuerat sancitum foedere, totâ ut Borbonij Italiâ pellerentur, omni ope conabantur. In hac summâ rerum omnium perturbatione recentis Regni novus rex versabatur, cum Lobcoviczius Princeps forti neque parvo comparato exercitu in Neapolitanum Regnum irruptit. At Rex juvenis, ut erat impavido & strenuo animo, cum intelligeret plurimum salutis publicae intéresse tantum tamque periculosem bellum non ab alio, quam à se Imperatore administrari, ire obviam hostibus, atque exercitui praeesse constituit. Non illum quâ incedendum erat ardua, con-

(IX)

fragosa ac praeruptis rupibus impervia loca, non Austriacorum vires majores quam pro vero vulgo jactatae, non Hispani exercitus, cuius potissimum auxilio erat fidendum, post cadmeam Campo-Sanctensem victoriam valde imminutae copiae, non lectissimae conjugis, atque charissimorum liberorum acerbis planctus à proposito dimoverunt. Quin imò extrema quaeque experi-ri paratus, hisce salutis publicae studiosissimo CAROLO diguis sanè verbis omnes est adloquutus: "Quo mea me dignitas & vestra salus vocat, " abeo: utinam, cives, quaecumque acciderit for- "tuna, saluti vestrae possim consulere." Quam verò faustè magnanimo & audaci consilio even-tus responderit, testatur gemina illa de Lobco-viczio, deque Austriacis dupli praelio reportata victoria. In quibus conficiendis imperato-rias illas virtutes, quarum singulis egregijs bella-tores gloriari solent, universas & summas in uno CAROLO ipsi hostes demirati sunt. Atque ut mittam, quam in ijs excelluerit, cum repentina incursu editiore illo occupato loco, quem & situ, & firmo praesidio regijs castris in summas redigendis angustias oportunissimum, insederant Austriaci, parùm abfuit, quin illis ultimam cladem attulisset: Quis illius in periculis fortitudi-